
2

ORATIO
IN FVNERE
REVERENDISSIMI DOMINI
IOANNIS MIRÆI
IV. ANTVERPIENSIVM
EPISCOPI:

Habita XVI. Ianuarij M. DC. XI.
à R. D. IOANNE DEL-RIO
Protonotario Apoſtolico, Eccleſiæ
Cathedralis Antuerp. Decano,
& Epiſcopatus eiuſdem Vicario Generali.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XI.

ORATIO
IN FVNERE
REVERENDISSIMI DOMINI
IOANNIS MIRÆI
IV. ANTVERPIENSIVM
EPISCOPI.



ÆCILIVS Metellus, cognomento Macedonicus, cùm triſtem de inopinata Scipionis Africani morte nuntium accepiſſet, in hanc vocem prorupit: *Concurrite, concurrite ciues Romani; vrbis enim noſtræ mœnia conciderunt.* Val. Max. lib. 4 cap. 1. Idē nobis hodierno die veriùs ac iuſtiùs licet exclamare: Concurrite, concurrite ciues Antuerpiani: murus & antemurale noſtrum IOANNES MIRAEVS, Antiſtes vigilantiſſimus, cecidit; mœnia vrbis noſtræ periclitantur: hoſtis vndique

nobis insidiatur : lapidem omnem mouet, vt Ecclesiæ vrbisque nostræ statum euertat. Et (heu!) cecidit, qui vnus nos protegere, ac tueri poterat, quique solidum aduersus hostes propugnaculum cælitus datus videbatur. Hæc, inquam, iure nobis ingeminare liceat, quòd tot tantaque exstent optimi Præsulis in Ecclesiam vrbemque istam merita, vt iure optimo PATER PATRIAE nuncupari posse videatur. Testandæ itaque gratitudinis causa, Viri admodum Reuerendi ac Clarissimi, dicam breuiter de IOANNIS MIRAEI Præsulis vigilantissimi vita ac moribus, hoc est, de singularibus atq; eximiis eius virtutibus; & perfecti vobis Sacerdotis atque Episcopi exemplar ante oculos proponam. Quod dum facio, maiorem in modum rogo, vt me de eius, quem viuum parentis loco coluistis, iam defuncti laudibus dicentem attentè patienterque audiatis.

Atque

Atque vt ab ipsis vitæ incunabulis Orationis meæ filum ordiar, Natus est IOANNES MIRAEVS Bruxellæ, quę Principum sedes est ac palatium, honestissimis parentibus, & religionis Catholicæ à Maioribus acceptæ studiosissimis, anno partæ salutis M. D. LX. festo ipso Epiphaniæ die, non sine omine, vt qui magnam aliquando lucem Diœcesi Antuerpiensi, ab hæreticis pænè oppressæ, totiq; adeò Belgio esset allaturus. Rudimenta litteraria hausit ibidem apud fratres Hieronymianos, qui tum celeberrimas per Belgium scholas passim habebant. Ætate prouectior, Louanium à parentibus missus est: vbi Philosophiam in pædagogio Castrensi sedulò audiuit. Rebus exinde per Belgium turbatis, tempore Ioannis Austriaci, Academiam Louaniensem relinquere est coactus. Quid faceret? studiorum filum ægrè admodum abrumpebat.

Duacum itaque profectus, in Collegio Regio intermissum Philosophiæ curriculum prosecutus est, adeò quidem feliciter, vt Artium magister, secundam lauream inter sodales suos ac cõpetitores obtinuerit. Ad eam nunc ætatem peruenerat, qua de certo vitæ genere amplectendo, certum quid esset statuendum. Atque ea quidem deliberatio, vt omnium solet esse difficillima, sic multæ & ancipites cogitationes fluctuantem adolescentis animum mirè exagitarũt. Erant qui ad Iurisprudentiam inuitarent: alij ad Medicinam animum vt appelleret suadebant. Cum Reuerendis itaque Societatis IESV Patribus communicato consilio, deliberationem omnem ad Deum referendam censuit; eoque precibus ac meditationibus demum consulto, ad Ecclesiasticum vitæ genus vocari se ac trahi sensit. Diuinæ autem vocationi tanto promptiùs parendum existi-

existimauit, quòd eo tempore totum ferè Belgium, excepta Artesia, Hannonia, & aliis aliquot prouinciis, mirum in modum à Caluinianis turbaretur, veterisque Belgij ne quidem facies appareret. Ceterùm priusquam Theologię sese studio totum deuoueret, humaniores primùm litteras, cùm Græcas tum Latinas, quæ altioribus illis disciplinis non ornamento modò, sed & adiumento esse solent, penitiùs imbibit, illas à limine salutasse minimè contentus: quoque faciliùs id assequi posset, annos tres Eloquentiam & Græcas in Collegio Regio litteras professus est; ratus, id quod res est, fore, vt hisce iactis fundamentis, altiorum disciplinarum fastigia solidiùs consisterent. Confluebant tunc ex Brabantia, Geldria, Flandria, Hollandia, Zelandia ac Frisia adolescentes plurimi Duacum, velut ad mercatum bonarum artium. Qui-

bus omnibus ac ſingulis vt prodeſſe totumque ſeſe dare poſſet, eiuſdem Collegij Regij præfecturam ſuſcepit. Et florent hodie cùm in Eccleſia tum in hac Republ. noſtra non pauci, qui tali ſe vſos doctore ac moderatore non immeritò gloriantur.

His itaque armis inſtructus Præſul noſter, ad ſacroſancta Theologię arcana inueſtiganda acceſſit; & celeberrimos Sacrarum litterarũ Profeſſores, viros eximios, Matthiam Boſſemium, Thomam Stapletonũ, Guilielmum Eſtium, & Bartholomæum Lintrenſem, aſſiduè audiuit; quibus & gratiſſimus ob ingenium ac diligentiam ſemper fuit. Et ne curâ aliquâ diſtraheretur, ad Seminarium Regium, quod ob vtiliſſimas ſub Guilielmo Eſtio exercitationes mirificè tunc effloreſcebat, ſe contulit. Moxque adeò profecit, vt Diſputationibus Theologicis, publicè in Academia haberi ſolitis, titulo Prio-

ris

ris vacantiarum pręesse iussus sit: nec multo pòst meritam in sacra Theologia lauream adeptus.

Anno M. D. LXXXV. creatus Sacerdos, cùm Antuerpiam, Bruxellam, aliaque Brabantiæ ac Flandriæ oppida Alexander Farnesius Dux Parmensis ad obsequium Regi Catholico debitum compulisset, adeoque messis esset multa, operarij verò pauci, de functione pastorali amplectenda seriò cogitauit. Rotnacensem itaque Decanatum, ab Illmo ac Reu^mo IOANNE HAVCHINO Mechliniensium Archiepiscopo, sibi ob doctrinam ac pietatem amicissimo, oblatum, recusauit; & Canonicatum cathedralis Ecclesię Namurcẽsis, quem nactus fuerat, sponte deseruit: factus paulò pòst Pastor Bruxellæ in basilica S. Iacobi iuxta Principis palatium, ac demum S. Gudilæ eadem in vrbe Canonicus. Longum foret commemorare, quàm vtilis non solùm

populo Bruxellensi, sed & proceribus aulicis fuerit, dum aliorum iurgia ac contentiones, quæ in Principum aulis frequentes esse solent, singulari industriâ componit; aliorum corruptos ac deprauatos mores corrigit: vniuersis denique verbo præit atque exemplo. Quo factum, vt toti aulæ, atque ipsi etiam Illmo ac Reu^mo Archiepiscopo Mechliniensi MATTHIAE HOVIO, & IOANNI RICHARDOTO sanctioris consilij Præsidi, longè gratissimus extiterit. Quin imò cùm ab his duobus viris amplissimis, aliisque, non semel ad Sereniss. ARCHIDVCEM, PRINCIPEM nostrum optimum, de MIRAEI virtute, eruditione, atque in rebus cùm publicis tum priuatis procurandis facilitate ac solertia, relatum esset; Illmo GVILIELMO A BERGIS ad Archiepiscopatum Cameracensem euecto, noster inopinatò, nec tale quidpiam ambiens, Gandauum anno

no M. D C. II. menſe Iulio ab eodem Sereniſſ. PRINCIPE euocatur. Offertur illi Epiſcopatus Antuerpienſis: ſed hæret ipſe, & onus Angelicis etiam humeris formidandum (ſi ſancto Ioanni Chryſoſtomo credimus) modis omnibus ſubterfugere conatur. Inſtat Sereniſſ. PRINCEPS: vrget Illuſtriſſ. Archiepiſcopus: quin imò Pontifex ipſe Romanus CLEMENS VIII. ſeriò monet atque hortatur per Ill^mum OCTAVIVM Tricaricenſem Epiſcopum, tunc Apoſtolicum apud Belgas Nuntium. Deliberatio, vtpote grauiſſima, non in ſeptimanas, ſed in biennium ferè totum protrahitur: adeò quidem vt Sereniſſ. ipſe PRINCEPS noſter gauderet ac miraretur tales in Prouinciis ſuis viros reperiri, qui oblatum in vrbe ampliſſima Epiſcopatum recuſarēt, raro nimirum atque inuſitato huius æui exemplo. Sic olim *S. Nicolaus* Myrenſis Epiſcopus vehementer primùm

mùm repugnauit: ſic *Gregorius Nazianzenus* delatam ſibi tiaram ac pedum repudiauit. Quid? *Ioannes Chryſoſtomus* quàm conſtanter munus iſtud arduum per ſe ac difficile defugerit, teſtantur aurei illi de Sacerdotio libri, quos poſteritati reliquit. Taceo reliquos Græciæ Antiſtites: ſunt enim plurimi. In Italiam tranſeo. *Gregorius* verè *Magnus* Pontificiam dignitatem adeò detrectauit, vt in cœnobium ſe ac cellam tamquam in aſylum abderet. Omitto *Ambroſium* Mediolanenſem, *Martinum* Turonenſem, Epiſcopos; qui inuiti ad Epiſcopatum tracti ſunt. Sileo *S. Bernardum, S. Thomam Aquinatem, S. Vincentìum Ferrerium*, reliquos; qui ſinguli non ſingulas, ſed plures ordine Epiſcopales mitras forti atque excelſo animo declinarunt.

At verò dum MIRAEVS noſter in deliberatione verſatur, haudquaquam otioſus fuit. Magna tunc erat

fama

fama miraculorum B. VIRGINIS Aſpricollis apud Sichemium Brabātiæ opidum : multus ac frequens hominum piè peregrinantium ex vniuerſo Belgio confluxus. Viro opus erat & prudente & ſolerti, ad varia, quæ tum ſpargebantur, maturè diſquirenda, & ad miraculorum veritatem cum iudicio explorandam. Itaque *ne fraus aut fucus imponeret* (Iuſti Lipſij verbis vtar) *publico mandato Illuſtriſſimi Mechlinienſium Antiſtitis explorata ea atque inquiſita, à Reuerendiſſimo Antuerpienſi Epiſcopo* IOANNE MIRAEO; *qui & ſcripto ea cum fide & induſtria digeſſit & conſignauit. Ab illo hauſit* poſtmodum ſua Lipſius, vt ipſe ingenuè profitetur. DEIPARAE verò, MIRAEI pietas ac diligentia ſummopere placuit: nec clienti illa ſuo defuit. Cùm enim in eius quaſi ſinu omnem de Epiſcopatu deliberationem depoſuiſſet, ad eum amplectendum diuinitus impelli quodam-

Lipſ. in præfat. ad Lect. de Diua Sichemienſi.

dammodò se sensit. DEO itaque auspice, DEIPARA patrocinante (quam & testamenti tabulis patronam semper sibi fuisse affirmat) Superioribus mandantibus, præsente eaque grauissima Ecclesiæ necessitate cogente, onus Pontificium tandem suscepit; & anno M. DC. IV. die xxx. mensis Maij, Quartus huius vrbis Episcopus solemni Ecclesiæ ritu est consecratus. Quo facto, nihil duxit antiquius, quàm Religionem Orthodoxam propagare, hęreses extirpare, lupos ab ouilibus arcere, monasteria belli tumultibus solo æquata instaurare, deniq. pristinam omnem Ecclesiæ disciplinam ac faciem reuocare.

Itaque ne vineæ Domini exercituum operarij deessent, qui manipulos ac segetes colligerent, *Seminarium* Diœcesanum Antuerpiæ, ex Tridentinæ Synodi decreto, à prædecessoribus suis inchoatum, sic auxit atque amplificauit, vt illius FVNDATOR

DATOR meritò nuncupari posse videatur. nam præter census annuos, de Professoribus quoque ipsis Seminarij alumnis prouidit; auctorque exstitit Reuerendis Societ. IESV Patribus, vt in hac vrbe lectiones Theologicas instituerent, & Casus conscientiæ, fideique Controuersias aduersus Nouatores explicarent. Atque vt suis animum adderet, Disputationibus ipse Theologicis, etsi negotiorum ponderibus oppressus, non interfuit modò, sed & de rebus controuersis eruditissimè disseruit. Ex hoc Seminario plurimi per Diœcesim Parochi prodiere; iis, qui ob temporum iniquitatem vitæ hactenus fuerant liberioris, suffecti. Ex hoc non pauci ad Academiam quoque Duacenam ab ipso sunt missi, pleniùs ac perfectiùs ibidem instituendi. Quid referam concionãdi ardorem & studium? quo quidem, vt verbo dicam, verum se Episcopum, & canem pro domo

domo Dei latrantem oſtendebat. Quid memorem zelum propè ſingularem in Chriſtianæ doctrinæ rudimentis rudi iuuentuti per Catechiſtas inſtillãdis? quid SCHOLAS DOMINICALES, ab ipſo in vſum pauperum erectas? Quid Patres AVGVSTINIANOS, quid ANNVNTIATAS virgines, velut nouas colonias in vrbem deductas? Quid denique SYNODVM DIOECESANAM, menſe Maio anni ſuperioris celebratam, typiſque Plantinianis euulgatam? Quæ quidem omnia eò dirigebat, vt gregem ſibi creditum ad perfectam Chriſtianæ vitæ normam duceret, atque in auita Religione retineret.

Vnum hîc ſilere nec poſſum, nec debeo. Cùm ante biennium in hac vrbe de Induciis cum Ordinibus Confœderatis paciſcundis ageretur, fortiſſimè apud Sereniſſimũ PRINCIPEM noſtrum, eiuſque Conſiliarios,

rios, inſtitit; oſtenditque concludi eas haud quaquam poſſe,niſi SALVA MAIORVM RELIGIONE. Ipſo itaque procurante factum, vt Legati HENRICI IV. Regis Chriſtianiſſimi, ſolemni ſcripto dato, ſponderent Religionem Orthodoxam fore illæſam, per vniuerſam Brabantiam, in ipſis etiam municipiis ac pagis *Bredæ* & *Bergis ad Zomam* adhærentibus. Cumque poſteà peſtilentis cathedræ Miniſtri ſolemne illud Legatorum ſcriptum euertere, & per pagos zizania ſua diſſeminare conarentur, graui ſuo ſumptu nepotem ſuum AVBERTVM MIRAEVM collegam noſtrum in Batauiam primò, ac deinde in Galliam ad PETRVM IANNINVM Præſidem miſit, vt impiis hæreticorum conatibus tempeſtiuè occurreret. Vnius itaque Antiſtitis diligentiæ debemus, quòd Catholici hodie Paſtores ipſis etiam hæreticorum in

portis excubant, quòd ab iisdem pagis Caluinianorum Ministri sint exclusi, quòd denique multa hominum millia Religionem in illo tractu retineant Orthodoxam.

Restat vt de virtutibus, quas in Episcopo Paulus Apostolus desiderat, aliquid dicamus. Eæ profectò in hoc præstantissimo viro sic emicuerunt, vt planè *lux mundi* fuerit, *exemplum fidelium* & *forma gregis*: alter quasi PAVLVS factus omnia omnibus, vt omnes Christo lucrifaceret. *Pontifex grauis & cordatus* (qualem Chrysostomus lib. VI. De sacerdotio describit) *venerabilis, sed humanus, comis & integer, officiosus denique & humilis, postremò acer & vehemens, mansuetus nihilominùs ac iucundus.* Sed ô breuem hominis vitam! ô exiguum nimis vitæ curriculum! ô miseram humanæ naturæ conditionem! Tali viro, qui clarissimum virtutum omnium speculum,

lum, & verissimum oculati ac vigilantis Episcopi exemplar erat atque idæa, frui diutiùs non licuit? Meditabatur & alia multò præclariora ad publicum Religionis bonum; atque ipso etiam die, quo ad meliorem eum vitam Deus euocauit, cum Illustriss^mis^ & Reuerendiss^mis^ Nuntiò Apostolico GVIDONE BENTIVOLIO Rhodiensium ac MATTHIA HOVIO Mechliniensium Archiepiscopis super ea re prolixè communicarat. Decebat scilicet generosum ac strenuum militem in ipsa actione à Deo euocante deprehendi. Obiit anno ætatis quinquagesimo primo, sibi quidem suo tempore, (vt qui non nisi ad cælestia anhelaret) sed Ecclesiæ Dei laboranti nimis præproperè. Adeò verum illud, *Optima quæque in terris diu perennare non posse.* *Obiit Bruxellæ 12. Ianuar. 1611.*

Te igitur appello, PRAESVL OPTIME: quando hoc in more positum est, vt qui benè de Ecclesia,

benè de Republica meriti ſunt, prò funere laudentur; ſi cui vnquam Epiſcopo honor is iuſtè delatus, ſi quæ exſequiæ cum lacrymis celebratæ, nulli iuſtiùs quàm tibi poſtremum hoc officium omnes debemus. Tu firmiſſimum Chriſtianæ Religionis præſidium fuiſti, terror hæreticorum, refugium miſerorum, decus patriæ, lumen ſæculi. Vtinam tuarum veſtigia virtutum ſequamur, morum tuorum integritatem re ipſa exprimamus; in omnibus denique ſic ambulemus, vt ad cæleſtem patriam aliquando peruenire, atque æterna tecum beatitudine perfrui mereamur.

DIXI.

APPROBATIO.

ORATIONEM *hanc in funere Reuerendissimi Domini* IOANNIS MIRAEI, *Quarti Antuerpiensium Episcopi, habitam à* R. D. IOANNE DEL-RIO, *Protonotario Apostolico, Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis Decano, & Episcopatus eiusdem Vicario Generali, prælo dignissimam iudico: quæ cùm veras defuncti* PRAESVLIS *laudes commemoret, simul præclarum veri Episcopi exemplar aliis imitandum proponit.*

Franciscus Haræus S. T. L.
Librorum Censor.


LABORE.
ET.CONSTANTIA.

